



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

3. Quare pro quotidiano, & non annuo aut perpetuo pane, nos Christus orare voluit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

Ideò nemo alium decipere debet emendo vel vendendo: nam hoc nihil faciet ad prouisionem tuam, sed potius incommodabit: & licet Deus aliquandiu tibi permittat fortunam, non tamen diu durabit, sed hoc fit vt postea casu grauiore cadas in damnum, miseriam & paupertatem: quare omni creatura vti debemus cum gratiarum actione, 1. Tim. 4.

Vult Deus vt quotidie ipsum rogemus pro pane quotidiano, non annuo vel perpetuo: & hoc primo, quoniam Deo placet & illi honor est, si sæpius à nobis rogetur: ideò quoque iussit sine intermissione nos orare, Lucæ. 18 & etiam promisit, siquid petierimus in nomine suo, hoc vult donare: Secundo inquit Mat. 6. nihil solliciti sitis de crastino, crastinus enim dies ipsi curæ erit: si ergo non debemus esse solliciti de crastino die, sed simpliciter petere pro pane quotidiano: certum est, quòd cras iterum petere debemus panem, eò quòd etiam cras sicut hodie indigemus, & hoc vult Deus, vt quotidie à nobis honoretur pro patre & enutritore, quaratur & inuocetur: & signanter dicit, ne solliciti simus sicut Ethnici, qui anguntur pro temporalibus, eo quòd ipsi non credunt futuram gloriam & vitam: neque laborem prohibet, omnibus mandatum Genesis. 3. In sudore vultus tui &c. Sed sollicitudinem: nam filius non est sollicitus, sed pater: attamen filius laborare debet: sic scit pater noster in cælis, quòd his omnibus indigemus: & hæc minora sunt quæ quarimus sollicitè, quandò iam maiora accepimus: nõne anima plus est quàm esca, & corpus plus quam vestimentum? Ergo minora illa Deo committere debemus, qui ea non negabit, quãdo iam maiora nobis dedit: & præterea, si volucres pascit, ornat lilia & vestit, quare non magis filios & credentes? Ideò quarite sollicitè præ omnibus alijs, & primum regnũ Deo & iustitiam

2.


iustitiam eius, id est, fidem, timorem, & dilectionem Dei & proximi: nam sic quærentibus promisit Deus regnum æternum, ergò adiciet & terrena. Proue. 10. Non occidet Dominus fame animã iusti: & vult Christus, vt homo fidelis cor suũ extendat in totam Christianitatem, & petat pro tota cõgregatione omnium hominum, vt Deus verbo suo & pane quotidiano nos pascere dignetur: nam vt inquit Chrysostomus, qui pro tota Christianitate petit, pro illo etiã petit tota Christianitas: & quandò oras pro tota Christianitate, etiam pro te oras. Delectatur enim Deus potius audire totam congregationem quàm singularẽ Pharisæum. Matth. 18. vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo. Ita qui cum communitate cantat, benè cantat, etiamsi vox mala sit, sed qui solus cantat, non manebit sine iudicio.

DE DIMISSIONE DEBITO-
rum coram Deo & proximo.

CAP. XXX.

ARGUMENTA.

1. *Penes quid certi reddamur, quòd Deus nobis dimiserit debita.*
2. *Cur petamus nobis dimitti debita, iuxta Mattheum, & non peccata.*
3. *Quòd nulla oratio exauditur, nec sacrificium aut opus Deo placet, vbi retinetur inuidia.*

1.  Hristus promisit, & verbum ipsius est, Matth. 6. Quandò dimiseritis hominibus peccata eorũ, tunc pater vester cælestis cõdonabit & debita vestra: sin autem, &c. Ecce hæc est promissio, si dimiserimus alijs, & nostra nobis dimittẽtur: si verò mi-

nus,